

Forfatter: Brahe, Tycho

Titel: Nobilitate ingenii ... [Digt til Jakob Ulfeldt]

Citation: Brahe, Tycho: "Nobilitate ingenii ... [Digt til Jakob Ulfeldt]", i Brahe, Tycho: *Tychonis Brahe Dani opera omnia*, udg. af I.L.E. Dreyer , 1913-29, s. 179. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-tycho09tom-shoot-workid54355/facsimile.pdf> (tilgået 26. april 2024)

Anvendt udgave: Tychonis Brahe Dani opera omnia

[Ex exemplo ab ipso Tychone typis descripto (Uraniburgi 1584)]

17 NOBILITATE INGENII GENERISQVE VIRO INPRI-
 MIS CONSPICVO, D. IACOBO VLFELDIO, DOMINO
 DE VLFELSHOLM, AMICO
 5 SVO PLVRIMVM
 COLENDO.

S. D.

DUM mea FALCHONEM petis altera Littera GOYVM,
 Altera vis, LANGVS non vt ERICVS amet:
 10 Nullane Doctiloqui venies sub teſta IACOBI
 VLFELDVMque Elegis Littera nulla petas?
 ILLE tibi quamuis, ſuperatis obuius vndis,
 Qui ſicco excipiet littore, primus adefi.
 Jmo adeundus erit, properes mea Muſa, ſalutes;
 15 Proximus eſtque viæ, nec remoratur iter.
 Is ſincero etiam, nobis noſtrisque Camœnis,
 Corde fauet, quare is prætereundus erit?
 Nec minus ac FALCHO Studiis incumbit Honeſtis,
 Forte nec ille minus quam vel Ericus amat.
 20 Siue ſtudet vel amat, vel agat ſi forſan vtrumque,
 Tecum in vtroque, ipſum quod recreabit, habes.
 Tu modo, FALCHONI quod miſimus, et quod ERICO
 Huic lege, dic, pariter ſcripta IACOBE tibi:
 Nomina ſi mutes, vcltris res omnibus vna
 25 Conueniens Studiis, quæque iuuabit, ineſt.
 At ſi forte roget, venias cur preſſa labore,
 Curque ſies nulla Littera ſcripta manu,
 Hæc referes: totum quæ nunc expulſa per Orbem
 VRANIA, Arctoum gaudet adire Solum,
 30 Jamque ſibi exigua poſuit Tentoria Huæna,
 Qualia vix magno fixit in Orbe prius,
 Et, licet ingrato, ſtatuit concedere, Mundo,
 Quæ peragat ſtudiis participanda ſuis. ||
 17 Hos igitur Typos fieri curauit, vt omnis
 35 Illius his toto clareat Orbe Labor.
 Rebus at effectis, quia non ſatis ampla Papyrus
 Suppetit, et pretio cedere cogit Hyems,
 Interea Typos requieſcere noluit, aſt hos
 Ire iubet, qua quis Doctus Amicus adefi.
 40 Inter præcipuos cum tu numereris Amicos,
 Artibus et doctis Eloquioque vales,
 23*

Nec